



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XVI. Gregorii Papae I. Ad Severvm Episcopvm Aqvileiensem.
Praecipit Romam ob fidei causam venire.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

Populonensem ecclesiam visitationis gratia commendat.

Gregorius Balbino episcopo Rosellano.

PERVENIT ad nos, quod Populonensis ecclesia ita sit sacerdotis officio destituta, ut nec pœnitentia decedentibus ibidem, nec baptisma possit præstari infantibus. Huius igitur tam piæ rei, tamque necessariæ mole permoti, iubemus dilectioni tuæ, ut huius præceptionis auctoritate commonitus, memoratæ ecclesiæ visitator accedas, ut vnum cardinalem illic presbyterum, & duos debeas diacones ordinare. In parochiis vero præfatæ ecclesiæ tres similiter presbyteros, quos tamen dignos ad tale officium veneratione vitæ & morum grauitate præuideris, & quibus in nullo obuient constituta canonicæ disciplinæ, ut sanctæ cum digna cautela prouideatur ecclesiæ.

Præcipit Romam ob fidei causam venire.

Gregorius Seuero episcopo Aquileiensi.

Ioan. diac.
lib. 4. cap.
38. & libro
2. cap. 50.
Paul diac.
libro 3. cap.
12. de gestis
Long.

SICVT gradientem per devia, carpentem denuo rectum stramitem, tota Dominus auiditate complectitur: ita demum de deserente cognitam veritatis viam maiore mœrore, quam gaudio, quo de conuertente lætatus fuerat, contristatur: quia minoris excessus est veritatem non cognoscere, quam in eadem cognita non manere. Aliudque est quod ab errante committitur, aliud quod per sciētiam perpetratur. Et nos si quidem quantum incorporatum te iam pridem fuisse in vnitatem ecclesiæ gauisi fueramus, abundantius nunc dissociatum a catholica societate confundimur. Pro qua re imminente latore præsentium, iuxta Christianissimi & serenissimi rerum Domini iussionem, ad beati Petri apostoli limina, cum tuis sequacibus,

EPISTOLARVM LIBER I. 175

venire te volumus, vt auctore Deo aggregata Synodo, de ea quæ inter vos vertitur dubietate quod iustum fuerit iudicetur.

EPISTOLA XVII.
GREGORII PAPÆ I.

AD VNIVERSOS EPISCOPOS ITALIÆ.

Vt filii Longobardorum in hæresi Ariana baptizati ad fidem catholicam concilientur.

Gregorius vniuersis episcopis Italiæ.

* Antharisth **Q**VONIAM nefandissimus * Autharis in hac, quæ nuper expleta est, paschali solennitate, Longobardorum filios in fide catholica baptizari prohibuit: pro qua culpa eum diuina maiestas extinxit, vt solennitatem paschalem vltcrius non videret, vestram fraternitatem decet cunctos per loca vestra Longobardos admonere, vt quia vbique grauis mortalitas imminet, eosdem filios suos, in Ariana hæresi baptizatos, ad catholicam fidem concilient, quatenus super eos iram Domini omnipotentis placent. Quos ergo potestis admonete: quanta virtute valeatis, eos ad fidem rectam suadendo rapite: æternam eis vitam sine cessatione prædicate: vt cum ad districti veneritis conspectum iudicis, possitis ex vestra sollicitudine lucrum in vobis ostentare pastoris.

Paul. diac. libro 3. cap. 8. de gestis Long. Ioan. diac. libro 2. cap. 50.

EPISTOLA XVIII.

GREGORII PAPÆ I.

AD PETRVM SVBDIACONVM.

Vt Marcello victus & vestitus necessaria ministrentur.

Gregorius Petro subdiacono.

* al. Barulitanæ **I**NSIN VATVM nobis est Marcellum * Barubicanæ ecclesiæ, ibidem in Panormitana ciuitate, in monasterio sancti Hadriani, in pœnitentiam deputatum, non solum victus necessitatem pati, sed & nuditatis nimiam sustinere molestiam. Pro qua re necesse habemus strenuitati tuæ præfenti iussione præcipere, vt ipsi pro victu & vestimento, fratoque ad continentiam, pueroque eius annonam quan-

Ioan. diac. libro 2. cap. 50.